



Carolus natus est Gādaui in celeberrima Ger-
 mania inferioris ciuitate tertia hora post me-
 diam noctem, 24 Februarij, Anno millesimo quin-
 gentesimo, qui secularis, iubilæus, & gratiæ diceba-
 tur. Patrem habuit Philippum Archiducē Austrię,
 Maximiliani Cęsaris filium, matrem uerò Ioannam
 Ferdinandi regis Hispaniarum filiam. Decimoter-
 tio die baptizatus, sponsores habuit præstantissi-
 mos duos uelleris aurei equites, Carolum à Croia,
 & Bergensem satrapam: nec non regijs stemmatis
 duas Heroínas, Margaretham Britannicam Eduar-
 di 5. regis sororem, & Margaretham Cęsaris Maxi-
 miliani filiam, à quibus etiam optimè in religione
 & omnis generis uirtutibus institutus fuit. nam à puero Mechlinię apud Mar-
 garetham amitam educatus est, Vergiaco Bisontino præfule primam eius æta-
 tem dirigente. Post hunc Vuilhelmus à Croia marchio Ariscotiæ eius curam
 suscepit. Cum autem eius pater Philippus optimus princeps immatura mor-
 te absumeretur, anno Caroli ætatis 7. Maximilianus auus & tutor cupiens eū
 optimis & literis & moribus imbul, Adrianum Ultraiectinum uirū grauem,
 qui postea ad Pontificatum peruenit, ei præceptorem adhibuit. Adrianus i-
 taq; felici ingenio Caroli perspecto, in eo optimè instituendo nihil intermi-
 sit. Carolus quoque legendo & scribendo egregiè sese exercuit, atq; sacras &
 prophanas Historias auidè percurrit. Cum autem Vuilhelmus à Croia Mar-
 chio cum subinde ad res militares, uenationes, luctationes, equitationes, reli-
 quaq; armorum palestrica exercitia adhortaretur, Carolus eius authoritatem
 secutus, literarum studia paulatim intermisit, ac militaribus studijs sese addi-
 dixit. Itaq; Adrianus aliquoties eum admonuit, ipsum suæ negligentia quan-
 doq; poenas daturum.